

& ita alios ſuo ſinunt arbitrio procedere, ſuo pariter proceſſuri. Sic Reipublicæ faciem mutatam aſpicimus, & decreſcentibus civium facultatibus, contra naturæ ordinem rerum pretia ſublimate. Et damnum cūm videamus vſquæquaque diffuſum, an ſerō de remedio, ſerō licet cogitetur, penitus ignoramus. Doctorem omnium ſententia eſt pretium aliud eſſe legitimum ſeu legale, vulgare aliud, illudque tale dici quia à lege definitum, ſive à Principe, aut legitimo alio Superiore, vt à Senatu, &c. Rogo iam an tale pretium fit abſtractum aliquid, aut vniuerſalis Platonici adinſtar, quod numquam ſit ad vſum, etiam ſi neceſſitas vrgeat, aduocandum? Quod cūm dici nequeat, & aliquando vſus ſtatuentus, cur non modo? Si neceſſitates pro eo requiruntur, quando maior? Sed dolendum quòd voces iſtæ ſerō nimis ſunt ad eorum peruenturæ aures, ad quos cura iſta dirigitur. Sed ſi ij non audiunt audient alij; & quod præſentibus & locis & temporibus prodeſſe nequit, aliis & locis & temporibus profuturum confiſdamus, Naturæ imperio gemimus. Iuuenalis Satyra. 16. Sed gratiæ beneficio conſoluemur.

CAPVT VI.

Generalis Depoſitarij obligationes pro foro animæ.

Ex qua culpa Depoſitarij generalis tenentur.

33 **C**ommuniſſima hoc loco quæſtio, ex quâ culpâ teneatur, cūm eſſe lata, leuis, & leuiſſima queat. Et quod ad forum exterius attinet, cūm in calus contingentiæ res ſit ad tribunalia deferenda, & ibidem iuxta circumſtantias, quas expendi oportebit, iudicandum; non eſt cur hoc loco circa illud proximius quidquam adiciamus. Teneri de leui multi dicunt, quando depoſitio in deponentis & Depoſitarij commodum cedit: alij de leuiſſima: pro quo videri poteſt P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 27. Dub. 3.* Si verò in ſolius Depoſitarij, communis reſolutio eſt de leuiſſima teneri, vt videri apud eundem poteſt, & alios paſſim. Sicut quando in ſolius deponentis commodum, ſolūm delata. Qualis autem in facti contingentiæ fuerit, valde eſt difficile explorari: vnde iudicium, varietate aliàs opinionum extante, arbitrarium eſt futurum: cūm aliunde etiam emergat difficultas, ex eo ſcilicet quòd difficilis probationis ſit quando depoſitio in vnus tantum, aut vtrumque commodum cedat. Et in Generali Depoſitario, cūm ſtipendium pro custodia lege taxatum accipiat, ex quo in rigore Depoſitarius non eſt, cūm talis mercedem non accipiat, vt notant Doctores, & habetur in *L. 1. §. Si veſtimena. D. Depoſiti.* non videtur dubitari poſſe depoſitionem ad illius commodum pertinere: vnde & officium tale magno obtinetur pretio, & inter Reipublicæ præcipua computatur. Quòd autem in eius commodum non tantum cedat, videtur facile oſtendi poſſe ex eo quod tale officium non eſt propter Depoſitarij commodum, ſed propter vtilitatem publicam inſtitutum: & eorum, quorum bona depoſita ſunt, res vtiliter agitur, dum in tuto collocantur. Quòd ſi depoſitio pœnalis ſit; tunc

aut alterius, cui adiudicanda ſunt bona, negotium geritur, aut certè Fiſci. Per hoc ergo poteſt Depoſitarius, ſi quidquam infauſtum occurrerit, ſe tueri.

34 Quod verò ad forum animæ ſpectat, mihi ſatis eſt verosimilis eorum opinio, qui cenſent ex ſola mortali culpa Depoſitarium teneri, ſi depoſitum pereat, aut graue detrimentum patiatur. Pro quo eſt *D. Thomas. 2. 2. quæſt. 62. artic. 6. in Corp.* vbi de Depoſitario loquens ſic concludit: *Propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenentur ad reſtitutionem: ſecus autem eſſet ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret.* Sic ille. Quod & eà mihi ratione perſuadeo: nam obligari aliquem ad compenſationem damni, pœna grauiſſima eſt: ergo nequit leui culpæ reſpondere. Quod pœna ſit, ſatis conſtat: nam ideò culpa præſupponitur. Et quòd illatio ſit certa; ex eo liquet, quia inter culpam leuam, & pœnam grauiſſimam non eſt proportio, quæ tamen debet inter culpam, & pœnam iuſtam inueniri, vt omnes fatentur, & dicat ratio manifeſta: nam aliàs aliqui gradus pœnæ inſurgunt immerenti, quandoquidem culpæ vnus aut alter reſpondet; vt ſi merenti duodecim verbera, inſurgunt centum, nonaginta efficiunt immerentem. Ideò ita decifum in vtroque iure; ſcilicet in *L. Sancimus. C. de pœnis, & in Cap. vt Clericorum, de vitæ & honeſtate Clericorum.* Quòd ſi dicatur hoc haberi ratione contractus, in quem quis voluntariè conſentit, & ita ſcienti, & volenti nullam fieri iniuriam, nec propriè haberi rationem pœnæ, licet culpam præſupponat; quia reſtitutio non eſt pœna, ſed obligatio ex violatâ iuſtitia orta. Contra eſt, quia etiam ſi contractus ſit, ex nullo capite haberi poteſt velle quempiam ſe in foro animæ ad recompenſandum damnum obligare. Deinde: quòd obligatio recompenſationis ſit in odium culpæ, manifeſtè probatur: nam ſi culpa nulla ſit, omnes fatentur vix quopiam reuente apud Pharaonium *Tract. 2. Seſſione 4. Caſu. 10.* nullam eſſe obligationem. Vnde *L. 1. §. ſæpè, x. Depoſiti caſus fortuitos excipit*, quia in illis culpa nulla interuenit. *Sed etiam culpa, & custodia præſert non tamen caſus fortuitos.* Verba illius ſunt: culpa ergo non tantum materialiter ſe habet, ſed formaliter in ordine ad obligationem. Et licet obligatio reſtitutionis eſſe dicatur, hoc ipſum pœnale eſt; obligari ſcilicet ad reſtituendum id, quod culpâ leui tantum periit, aut damnificatum eſt; & vt demus pœnam non eſſe, eſt tamen onus grauiſſimum, quod quidem humanæ leges in exteriori foro conſtituere potuerunt, non ita in conſcientiâ, quia ex eo grauitas oneris geminatur: quod nequit præſumi de eximiâ ſic diſponentium pietate; ſi aliàs demus id eorum non tranſcendere poteſtatem.

35 Qui diſcurſus videtur eſſe clariffimus, vnde ſententiam iſtam communiter iam Theologi amplectuntur, ſaltem tamquam probabilem, quibus credendum potiùs in negotio conſcientiæ, quàm Iuriſperitis, & ita pro illâ adduximus *Titulo 3. Cap. 9. num. 65.* Cardinalem Lugo & Baſſæum alios referentes, & P. Amicum, videntem etiam pro Depoſitario *Diſput. 29. de Inſtitutione. num. 10.* quæ & valde placet Remigio, *Tract. 2. in ſeptimum præceptum. §. 31. ac P. Dicatillo Lib. 2.*

Ex mortali tantum teneri oſtenditur.

D. Thomas

Pœnam debere culpa proportionari.

Pro foris nullam eſſe obligationem.

Auctores reſolutionis ſauentes.

Lib. 2. Tractat. 3. num. 413. qui ſe remittit ad *Tract. 8. num. 37. & ſeqq.* vbi de Depoſitario. Sicut & Thomæ à Ieſu in *Cap. Non dicatis, Parte 3. Cap. 6.* in fine: & ante alios eam eleganter, & robuſtè firmavit P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 7. Dubit. 6.* vbi generaliter loquitur de obligatione reſtitutionis orrâ ex damno dato, *Dubitatio autem 7. magis in ſpeciali de damno in officio. Dubitatio autem 8. num. 43.* vbi magis in ſpeciali agit de Depoſito, affirmat leges obligationem ſtatuentes pro culpa leui, non videri quoad forum conſcientiæ receptas: nemo enim, qui pignori, vel rei conductæ putet ſe maiorem custodiam debere ex iuſtitia, quàm dominus ipſe adhibere ſolet. Addit tamen *num. 45.* contrariam ſententiam eſſe communiorè, & ordinariè in praxi ſeruandam. Probabilitatem etiam ſententiæ oppoſitæ recognoſcit: *Cap. 17. num. 11.* referens ſe ad dicta *Dubitatio 8. citatâ:* & quidem ratio ab eo adducta *citato cap. 7. num. 27.* aut hoc probat, aut pro aliis nullius momenti eſt: ſic enim arguit, *quando ſolum culpa venialis commiſſa eſt, non eſt actus perfectus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus, ergo non inducit obligationem reſtitutionis ſaltem perfectam, quâ astringatur ſub peccato mortali: non enim poteſt obligatio maior eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit iniuria, ex quâ naſcitur, in ſuo.* Sic ille; quis autem non videat rationem iſtam etiam pro damno in contractibus contingente concludere? Quid ſi in illis vim non habet, neque generaliter habebit; dici enim poterit eſſe actum imperfectum, ſed voluntarium, & cūm abſolutè damni cauſa fuerit, obligationem ex eo reſtitutionis oriri. Quæ ſolutio eſt inſufficiens; ſed ei tamen ſimilis eſt, quæ ad damnum in contractu ſecutum applicatæ poteſt adhiberi. Culpa enim leuis Depoſitarij actus imperfectus eſt, ad quod ineptè dicitur eſſe abſolutè cauſam damni, & ita ad reſtitutionem obligari: quia hoc, ſicut aliud, poteſt conſutari ex eadem imperfectione actûs. Quòd ſi recurratur ad leges, non ceſſat iſtantiæ vis: nam leges propter actum imperfectum in foro interno nequeunt onus imponere, quo mortaliter conſcientiæ grauentur: ideò enim pro peccato veniali nequit maior excommunicatio fulminari. Videatur etiam Pharaonius *Tract. 2. Seſ. 3. Caſu 9.* in fine.

36 Quibus præiactis; quæ ad Depoſitarios videntur generaliter pertinere, circa Indicos id videri frequenter accedere, vt rebus ſibi in depoſitum traditis ad ſua commoda vtantur, & de recompensatione non admodum videntur eſſe ſolliciti; itaque mancipijs, iumentis, & alijs prædia colunt ſua; & mirum in modum locupletantur; in quo qualia conſcientiæ grauamina interueniant perquirendum: & communis reſolutio eſt: Depoſitarium non poſſe depoſito vti contra domini voluntatem. Sic habetur in *L. ſacculum. D. depoſiti.* Pro quo & videri poteſt Bonacina *Tract. 3. de contractibus, quæſt. 14. Puncto 1. num. 3.* P. Molina *Diſput. 524.* P. Leſſius *Cap. 27. citato Dubit. 2.* P. Gaſpar Hurradius *Diſput. 10. de contractibus, diſſult. 2.* & alij communiter de contractibus agentes: qui ſunt ſanè quamplurimi, apud quos aliqæ exceptiones ſunt. 1. Si Depoſitarius bonâ fide exiſtinet id non diſplicere domino, etiam ſi reipsa diſpliceat; dummodò non conſtet diſplicere poſt præcedentem vſum, & in eo

Theſauri Indici Tom. 1.

procedatur. 2. Ex domini expreſſâ; aut tacitâ conſeſſione; tacita autem verosimilibus fundanda coniecturis pro re contingenti ponderandis. 3. Quando depoſitum eſt res conſumptibilis vſu vt triticum, vel pecunia, & depoſitarius certus eſt habiturum ſe tantumdem quod reddat, cūm depoſitum repetetur: in quo aliqui peccatum veniale eſſe dicunt: ſed certè aut mortale eſſe debet, ſi vſus in re magni momenti ſit, aut nullum: nam vſus talis contra voluntatem domini, eſt peccatum mortale abſolutè loquendo, nec Depoſitarius ſpecialè ius ad illum habet, cūm res depoſita alterius ſit, neque ipſe dominium proprietatis, aut vtile habet. Quod ſi propterea mortale peccatum eſſe negatur, quia nullâ violentiâ à domino res auferitur, & ex vſu nullum patitur detrimentum, ex eo fit nullum eſſe peccatum: ſi enim tale eſſet, ideò certè, quia contra voluntatem illius non eſt; aliàs eſſet peccatum mortale: vel quia licet contra illum ſit; eſt tamen irrationabilis talis voluntas; quando autem talis eſt, nullum eſt peccatum de illâ non curare. Quod aliunde oſtendi poteſt, ex eo ſcilicet, quòd ea, quæ functionem accipiunt, cūm in depoſitum traduntur, non debent eadem numero reddi, & ita dominium earum, in depoſitarium tranſit, & conſequenter vſus eſt licitus, iuxta ea quæ adducit P. Onate *Tom. 2. Diſp. 54. n. 15. 4.* Addi poteſt limitatio quando non vſus eſſet noxius deponenti, vt ſi depoſita putreſcerent, aut ſerui otioſi penitus manerent. Quo euentu non ſolūm licet, ſed obligatio eſt procurandi ne damna dicta ſequantur: ſi quid autem in eo ſpecialis laboris abhibutum, compenſatio eſt debita facienda.

37 Iuxta hæc ergo ſatis compertum eſt; depoſitarios Indicos non poſſe depoſitorum vſu diſcedere generaliter loquendo; ſi autem depoſitum pecuniæ ſit, & non clauſa, aut obſignata, cūm functionem accipiat, lucrari per eam poſſunt iuxta nuper dicta; reddenda tamen illa eiufdem omnino valoris, & perfectionis, vel quod inter eſt compenſandum: non tamen ſi non reddatur, lucrum ex ea factum cedit deponenti, quia vſus fuit veri domini: & vt non talis eſſet, fuit fructus induſtriæ, vt aliàs dictū eſt de Regijs officialibus, & Prætoribus aliſque. Quod videtur extendendum ad pecuniam, etiam ſi clauſa, & obſignata tradatur: quæ erit vti illicitum, ſed non reſtituendum lucrum, ſi nullum inde damnum emergat lucro compenſandum. Et conſequenter idem dicendum de rebus aliis fungibilibus; ſi enim per eas negotietur, lucrum negotiationis acquirit, etiam ſi lex aliqua ſit negotiationem prohibens, iuxta dicta etiam, cūm de præfatis ageremus. Videatur P. Molina *ſuprà.* Circa iumenta autem vſus non licet, & eſt obligationi compenſationis obnoxius, ſi ex labore detrimentū alicuius conſiderationis accipiant, vt ordinariè contingit, dum onera ſubire coguntur, aut modis aliis laborare. Id quod circa ſeruos non ita videtur faciendum; quia iumenta ſecurè, & cum vtilitate domini in paſcuſ, aut ſtabulis relinquuntur; cūm tamen ſerui non debeant otioſi relinqui. Laborent ergo quia & manducant, & de aliis ad vitam neceſſariis à Depoſitario prouidetur, & vt ſerupuli ceſſent, labor ſit mercedi reſpondens, & merces labori, vt ſcilicet maior non ſit, quàm ſit illius pretium

Et ſine veniali ſtare poſſe.

Adagio in ſpeciali quid licet aut non licet expli- catur.

Quid circa ſeruos.

Pretium ad necessaria pro victu reuocatum. Cum autem labor multo esse maior soleat, quam qui solo possit victu compensari; quandoquidem vix quarta pars pretij soleat victui laborantium responderi: satis ex eo apparet depositarios ad superabundantiam pretij reddendam obligari. Pro quo est Lex 1. §. Si quis. D. Depositi. vbi sic dicitur: Si quis seruum custodiendum coruerit forre in pristinum; siquidem merces interuenierit, custodia puro esse actionem aduersus pristinarium ex conducto. Vbi id Doctores tradunt, & exornant, & colligitur ex doctrina generali eorum, dum docent in his, quæ habent vti fructum, vt equus, vestis, &c. debere depositarium restituere valorem talis vti; si contra Domini voluntatem vtatur: illud enim & cetera seruos manifestè complectitur. Adducit autem pro eâ Bonacina supra, Doctores plures, dicens illos ita docere cum S. Thoma 2. 2. q. 63. art. 6. cum tamen in eâ quæstione talis articulus non sit. Articulo autem sexto, quæst. 62. in quâ de restitutione agit, & depositarij mentionem inserit, de quâ num. 34. nec verbum quidem de rebus habentibus vti fructum; sed in re clarâ non est cur diutius hæreamus; sicut neque circa alia, quæ vt dixi, communia sunt, vt non sit opus pro Indiis plus aliquid contulisse.

L. I. D. Depositi.

CAPVT VII.

De Ministris Vrbanorum Senatuum.

De maiori Alguacello.

38 Inter primarios Alguacellus maior ciuitatis numeratur, de quo iam dictum Titulo 4. Cap. 19. §. 1. dum de Alguacello maiori Prætoriali dicta ibidem ad Vrbanum sunt etiam referenda in iis, quæ ferè communia sunt. Illud tamen hoc loco oportet adieciſſe, in Indiis facilius solere maiores Alguacellos à ciuitatibus abesse, & alios suo loco relinquere, in quo id agendum, quod Regijs est ordinationibus constitutum, circa eorum approbationem. Quæ licet id sit, si illi officio desint, & eorum incuria, aut lucri auaritate, alioque humano respectu, quidquam circa carceratos accidat, ex quo damnum alicui sequatur, ab iisdem restitutione factâ compensandum. Approbatio enim non suffragatur: vt liber ille ab eâ obligatione remaneat, quando damnum nequit à substituto exigi, non habente vnde reddat: non enim debet approbatio plus prodesse ipsi damnificanti substituto, quam eidem substituenti prodesset, si damnum simile eo præſente, & cooperante contingeret. Suâ ergo culpâ damnum accidit, qui ineptum substituit; quod si approbatio extitit, qui approbarunt sunt ab eodem decepti, licet forsan bona fide processit, & ita electio in eius debet caput retorqueri: & quod ad forum externum attinet, ita quidem fiet, & debet fieri, quando tertij damnum extrat: si autem bona fides extitit, poterit doctrina adducta capite præcedenti se tueri: quia scilicet grauis culpa absuit: non erit bona fides, quando de sufficienti substituti dubitauit; quia dubium bonam fidem excludit; cum de inchoanda possessione agitur, iuxta ea, quæ adducit P. Lessius Lib. 2. Cap. 6. num. 10. cum aliis ita communiter pro certo statuentibus; &

Dubium bonam fidem excludit.

hoc est quod ordinariè contingit, dum substituentes, de substituentium sufficientiâ plenam notitiam non habent, sed priuato aliquo respectu ad electiones huiusmodi permouentur.

39 Vbi & dubitari potest (quamuis & dubium hoc commune sit, sed occasione casus contingentis discutiendum) quid faciendum quando maior Alguacellus est notabiliter impeditus, ita vt ad ea, quæ muneris sui sunt, & hominem exigunt expeditum, diu noctuque valentem, ad ea quæ occurrunt, aut occurrere possunt promptum ministerium exhibere. Ad quod quidem dicendum videtur dubio procul talem debere alium substituere, qui satisfacere officio possit: vel si hoc ipse renuat, supremus magistratus id præſtare poterit competenti salario, ex iis, quæ ad propriarium spectant, designato. Licet enim Regio Ministro non seruienti ob infirmitatem integrum debeat salarium iuxta Regias ordinationes, neque ad eum spectet substitutum assignare; id quidem in illis singulare est, quia sic legi dispositum, & talium officiorum prouisiones ad Regem penitus spectant: quod secus accidit in prædictis, qui seruire per substitutos possunt, & stipendium ab exerciti officij, & variis eius functionibus vendicant, quasi quotidianas distributiones. Itaque tenentur seruire, & non seruiunt, quorum tamen seruitium est necessarium Reipublicæ; ergo debent, cum possint, supplere defectum. Aut ergo quærant gratis pro amicitia facientem officij honorè contentum, aut si non inueniant qui velit seruire gratis, rarè enim sunt istæ aues in terris, cum alia emolumenta partiantur. Et in auditoribus Regijs, aliisque maioribus Officialibus alia est ratio præter dictas, vt cum illis agi benignè debeat, quia scilicet quando ægrotat vnus; alij sunt qui eorum supplere ministerium possint, quod secus euenit in iis, qui singulares sunt, etsi eorum ministerium desit, eo sit Respublica penitus caritura. Vnde & similiter est de Prætoribus dicendum, qui si impediti sint, locum tenentes debent designare, & cum eis emolumenta dispartire. Pro quo videri potest P. Fragosus Tom. 1. pag. 420. num. 61. vers. Excusatur: vbi ex grauib; scriptoribus firmat impeditum eatenus non priuari salario, aut etiam officio, quatenus seruire potest per substitutum à se designatum. Quamuis de Regijs Auditoribus alia sit ratio, de quibus ibidem.

Circa Alguacellum notabiliter impeditum dubitatio.

Debere per substitutum seruire.

Diversa ratio in Auditoribus Regijs, & alijs nullis.

Sed non in Prætoribus.

Procuratoris Vrbanij obligatio.

40 Est autem in Senatu Vrbanò Procurator, qui scilicet pro ciuitate stet, si forsan contra illam Senatores aliquid moliantur, & vt ea, quæ vtilia illi esse vtrumque possunt in Capitulo proponat, & apud omnes qui iuuare ad id possunt; quia superiorem gubernationem exercent, negotia prosequatur. In quo quidem graue potest per iniuriam peccatum irrepere: dum officium tale perfunctoriè geritur, & cum multa occurrant, pro quibus sollicitudo desideratur, nihil de illis curatur. In quo etiam pestis auaritiæ se potest ingerere: si ob interesse aliquod, aut omissionis, aut commissionis peccatum admittatur; & obligationem Procuratoris esse sub mortali, & ex iustitia commutatiua, ita vt non possit à prosecutione desistere, communis sententia firmat: cuius violatio obligationem restitutionis inducit. Pro quo textus, & Auctores adducit P. Onate Tom. 2.

Esse sub mortali & ex iustitia.

Tom. 2. Disput. 45. num. 55. Quod quidem Indici Procuratoribus serio, & frequenter inculcandum, in quibus, quæ ad commune bonum spectant somnulosè tractantur; & quidem cum in Procuratore ad causam specialem alicuius priuati constituto, obligatio præfata militet, inde licet conicere quanta sit illa, quæ in Procuratore residet, ad totius ciuitatis vtilitatem designato, & quamuis stipendium non habeat speciale, non ideo cessat obligatio, quandoquidem sic cum ciuitate contraxit, & in eo etiam casu obligatione dictam esse probant adducta à P. Onate, supra. cum aliâ dici possit Procuratorem talem non carere emolumentis, habet enim honorificam sedem, & immunitates alias; cum etiam ciuis sit de communi vtilitate participat, quam pro communi sollicitat; ex iustitia ergo, & cum obligatione restitutionis ad officij implementum obligatur.

Aduocati Capituli onera conscientia.

41 Cui affine est officium Aduocati capituli vrbanij, circa cuius electionem peccari grauer potest, dum minus sufficiens eligitur ob priuatum aliquem respectum, quia scilicet iur nobilis; cum tamen talis sit, vt nullus eum ex ciuib; ad causam momenti alicuius eligeret defensorem. Huic certè salarium soluitur, quod peritissimo redderetur; in quo manifesta est iniustitia cum restitutionis obligatione; quandoquidem salarium non à Capitularibus ex suis facultatibus soluitur, sed ex bonis ciuitatis. Quod si contingat negotium magni momenti, alius aduocatus querendus, cui & salarium tribuendum; ex quibus constat ciuitati detrimentum non leue comparari. Aduocatus ergo quicumque ille sit iura ciuitatis ita tueri debet, vt non desinat ab eâ curâ vitandi laboris causâ. Et dicens in casu contingentia aliquid non esse probabile, aut licet probabile sit, parum tamen probabilitatis habere, vt nequeat victoria in lite sperari: cum tamen sint certè expensæ faciendæ. Hæc namque siue non sint, satis liquet quàm sint contraria iustitiæ, & quale onus restitutionis inducant. Possunt autem vera putari, quia libri non consulti, in quo similis est conscientia clauus. Quod si post adhibitum studium aliquid probabile appareat licet minus probabile quàm oppositum, id ita Capitulo proponendum; eius autem erit decernere an intentanda lis sit, audito Aduocati consilio, qui & ad illud post libros, conscientia sincera dictamina consultabit. Non debet autem ex eo quod ius ciuitatis minus probabile sit, illud acsi nullum esset prætermitti; quia id quod minus probabile Aduocato videtur, poterit forsan à iudice probabilius iudicari, & ita pluribus adductis tenet P. Fragosus. Tomo 1. pag. 728. num. 262. pro quo etiam & Diana Parte 2. Tract. 13. Resolut. 4. Pharaonius Tract. 1. Sessione 3. Casu. 9. & 10. & Cardinalis Lugo disp. 41. num. 8. Nec de Aduocato plura, pro quo alia dedimus Titulo 4. num. 214. & seqq.

Notanda doctrina.

42 Suus item est Tabellio in Senatu vrbi-

co, qui à Capitulo nomen adsciscit, & dicitur scribanus Capituli, atque inter alios per honorificum officium, qui publici, Regales, aut de numero dicuntur, vnde & magno emi pretio solent, & de eorum obligationibus, quatenus scribanij sunt, videri specialiter potest P. Fragosus supra Disput. 13. lib. 4. §. 11. vbi multa congerit, & de eorum peccatis præsertim agit. num. 286. & seqq. videatur etiam dicta à nobis Titulo 4. n. 404. & seqq. & de capitulari specialius loquendo, peccat ille, si vocatus vt Capitulo adsit, & acta conscribat, ire renuat priuatis commodis impeditus: & peccatum quidem graue est, quia in re momenti magni suo deest officio. Quod si sciat nihil, quod momenti sit alicuius, in Capitulo tractandum, & ire detrectet, non videtur grauer peccare, quia ex eo nullum bono publico sequitur detrimentum. Obedientia autem illa non est talis, vt sub præcepto Capitulares iubere censeantur. Quod si sub penâ præstiti iuberetur, adesse, videndum, an iuramentum ad id se extendat, vt videtur extendi, cum de exequendo fideliter officio sit. Hæc enim pars officij est, Capitulis scilicet adesse; licet aliâs obligatio non videatur a deo rigerosa, quia sicut secluso iuramento, non est obligatio grauis, cum res tractanda parui momenti est, ita & iuramento posito, quod vt sepius dictum, intelligendum est præstari iuxta præcedentem obligationem, vt scilicet grauem grauiorem reddat, non autem vt ex leui grauem. Præterquam quod iuramentum videtur se extendere ad omnia prædicta, sed ad fidelitatem, vt nihil falsum suo testimonio firment; & ad stipendium, vt nihil vltra taxam admittant. Si autem res magni momenti sit, & ex absentia scribanij non concludatur id, cuius defectu damnum aliquod subsequatur, ad restitutionem teneri, iuxta receptissima principia est; de quibus à nobis dictum variis in locis. Videatur specialiter P. Gaspar Hurtadus Disp. & diffu. vltima de iustitia §. Circa fidelitatem. De nouiter inuentis officijs. P. Fragosus supra. n. 275. Nec plura de illis, sicut neque de aliis nouiter inuentis officijs, de quibus num. 26. circa quorum obligationes, & aliorum nouiter creandorum, iuxta dicta philosophandum est; vix enim aliquid ita implicatum occurrerit, vt vel ad conscientia obligationem non spectet ob legis circa illud positionem, & tunc rei grauitas perpendenda est, & inconuenientia ex transgressione, vel propter restitutionem ex damno dato, aut titulo alio pro quo multa sunt à nobis non leui discussione propofita. Quæ ergo ad vnum ex dictis officijs spectant, ad alia transferenda, & in mitoriẽ partem ita inclinandum, vt præcipui Theologiæ duces propter vnus, aut alterius summistæ nouum inuentum minime deserantur. In quo certè magni nostris his temporibus notantur excessus, quos oporteret censoria virgâ supremorum in hac materia Iudicum cohiberi. De quo aliâs, vt iam ad alia.

De Capituli Tabellione.

Quid circa iuramentum.

De nouiter inuentis officijs.